

ARNOLDI  
VINNIJ, J. C.  
AUTHORIS DAMNATE

OPUS VERO CUM EXPURGATIONE PERMISSUM,

IN QUATUOR LIBROS

INSTITUTIONUM IMPERIALIUM  
COMMENTARIUS ACADEMICUS ET FORENSIS.

*Editio novissima & emendatissima, Authoris NOTIS antea  
seorsim impressis aucta & Verbis Græcis Latine con-  
versis adornata, duobus distincta Tomis.*

CORRECTA, ATQUE EMENDATA, SECUNDUM INDICEM  
COR expurgatorium Sanctissimæ Inquisitionis Hispaniæ,  
publicatum anno 1707.

TOMUS SECUNDUS.

Anno




1723.

MATRITI:  
CUM PRIVILEGIO REGIS.


Sumpt. FRANCISCI LASO.

EX OFFICINA REGIA, apud IOSEPHUM RODRIGUEZ DE ESCOBAR,  
Sanctæ Cruciatę, & Hispanicę Academicę Typographum,





ARNOLDI  
VINNIJ, J. C.  
IN LIBRUM TERTIUM  
INSTITUTIONUM  
IMPERIALIUM  
COMMENTARIUS  
ACADEMICUS ET FORENSIS.



TITULUS I.

De Hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur.

*Ratio ordinis, cum argumento tituli.*



DECURSIS omnibus supræme voluntatis partibus, redit Imperator ad institutam de universitate bonorum acquirenda disputationem. Ex quatuor huius generis acquisitionis modis, propositis, §. ult. sup. per quas pers. cuiq. acq. eum primo explicandum suscepit, per quem hæreditas nobis obvenit. Obvenire vero nobis dixit vel ex testamento, vel ab intestato. Quoniam igitur de hæreditate ex iudicio defuncti acquirenda hætenus solum tractavit cuius semper prior & potior causa est, l. 39. de acq. her. l. 89. de reg. iur. quod reliquum est ad tractationem istam absolvendam, de hæreditate legitima, seu ea, quæ lege ab intestato defertur, pertexere prius voluit, quam ad cæteros per universitatem acquirendi modos transitum faceret. Hæreditates, quæ ab intestato deferuntur, eodem passim & lege deferri dicuntur, nomenque legitimarum

hæreditatum sibi proprium fecerunt, licet testamentaria quoque hæreditas dici possit lege obvenire, l. leg. 130. de verb. sign. Sed ille solè hoc nomen occupaverunt, propterea quod immediate & proxime deferuntur à lege, & à lege sola absque voluntate defuncti, cum testamentariam non ipsa lex deferat, sed delatam à testatore confirmet duntaxat, d. l. 130. Hinc etiam hæredes legitimi & testamentarij passim opponuntur, l. 3. §. 2. pro soc. l. 17. §. 1. l. in plurimum 70. l. illud 77. de acq. her. l. 2. & tot. tit. de suis & legit. her. Succeditur ab intestato vel ingenuis, vel libertis. De ingenuorum successione tractat prior loco: deinde de successione libertorum, & demum tit. 8. Hoc autem titulo solum agitur de successione descendentium sive liberorum, quorum in causa successione legitime prima semper ratio habita. Cum autem varia sint liberorum genera, & pro varietate eorum varia quoque iura succedendi ab intestato, eo ordine hic proceditur, ut primi, & statim post descriptionem intestati prodeant, qui principem locum iure civili inter ipsos liberos obtinebant, aut potius soli in causa successione liberi habebantur, sui sc. hæredes. Inde §. 9. transitur ad successione emancipatorum. Postea §. pen. commemoratur mutatio iuris circa liberos adoptivos. Ad extremum discrimen vetus ex masculis & foeminis descendentium tollitur. Quæ mutatio iure novissimo